

Bohemiam filium suum Johannem adhuc adolescentem,  
adiungens sibi Baldwinum fratrem ipsius imperatoris,  
archiepiscopum Treverensem, et nonnullos alios potentes  
et prudentis constancie viros cum exercitu militari. Qui  
dictum regnum Bohemie intrantes brevi successus tempore  
prefatum ducem Carinthie ab ipso regno Bohemie expellen-  
tes dictum filium imperatoris Johannem in regem Bohe-  
mie prefecerunt. Qui tandem in regno Bohemie confirma-  
tus multa strenue in diebus suis gessit. Tenuit autem  
idem rex Johannes Bohemie filium ex filia regis illius,  
in quo regnum ipsum defecerat, prefato Johanni dum re-  
gnum acceperat in matrimonium copulata, qui primo  
vocatus Henricus postmodum mutato nomine fuit Carolus  
nominatus, qui etiam successu temporis in regem Romanorum  
assumptus vocatur Carolus quartus, prout infra in processu historie apparebit.

cf. Hist.

1314 oct. 20.

Anno siquidem domini 1314 defuncto iam glorioso principe  
Henrico imperatore VIII principes Germanie in diversa ymmo adversa  
ita divisi quidam ex ipsis apud Frankenvort<sup>(1)</sup> in illa regia  
congregati illustrem virum Ludovicum ducem Bavarie, qui quidem  
vocatus est Ludovicus quartus, nepotem olim Rudolphi Romanorum  
regis, ex filia, in Romanorum regem elegerunt. Alii vero, utpote  
Henricus archiepiscopus Coloniensis, Rupertus comes palatinus, prefati  
Ludovici electi frater, et quidam alii, pauciores tamen numero,  
Fredericum ducem Austrie, prefati quondam Rudolphi regis ex  
<sup>(2)</sup> Frankenvort cod.

1313 aug. 19.

cf.